







GERARDI DEDEL

AMSTELODAMENSIS

PHILOSOPHIAE THEORETICAE AC LITERARUM HUMANIORUM ET IURIS CANDIDATI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM,

A NOBILISSIMO ORDINE IURIDICO ACADEMIAE GRONINGANAE



PROPOSITAM:

Anno CIƆIƆCCCXXIII.

,, *Exponatur* CICERONIS *doctrina de Iure, Civitate et Imperio:*
,, *Ratio imprimis habeatur eorum, quae exstant in libris de*
,, *Republica, nuper inventis.*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT

a. d. XIV Octobris CIƆIƆCCCXXIV.

PROLEGOMENA.

Iam ſaepe a VV. celeberrimis; omnique laude dignis obſervatum vidimus, nullam rem; nullamque adeo artem vel disciplinam omni tempore pariter excoli, ſed aliis ſaeculis alia magis agi, et pro diverſitate temporum, hominum animos diverſis rebus occupari. Sic Saec. XV. exeunte novarum rerum inventiones, itinera longinqua, incognitarum regionum exploratio; Saec. XVI. controverſiae de religione, et bella civilia, quae inde manarunt; Saec. XVII. mercatura et quaecumque huic faverent, vigebant. Adeo ſingulis illis aetatibus ſingulis rebus operam navabant homines, ut penitus in illis haererent, et quamvis alia non negligerent, in harum tamen cogitatione plurimum verſarentur. Quodſi igitur quaeramus, quaenam praeſentis ſaeculi indoles eſſe videatur, negari nequit, qui in eo vivunt, non quidem illa negligere, quae egerunt eorum patres; ſed praeterea in uno ſtudio maxime verſari, in *doctrinae politicae indagatione*, et propter diverſitatem opinionum non minus distrahi atque ſeparari, quam praecedentibus temporibus aliis ex cauſis distrahebantur atque ſeparabantur.

Neque nostra patria hac in re, ut in caeteris quoque, uni Europae genti inferior est, neque apud nos de hac doctrinae diverfitate minores contentiones ortae funt, quamquam mitiori Belgarum ingenio, nostrarumque inftitutionum fapientiae tribuendum est, quod non tales nobis calamitates intulerint, quales aliis Europae regionibus illatas fuisfe vidimus.

In huiusmodi temporibus, quum Ciceronis libri de Republica reperirentur, mirum non est, omnes homines infigni eorum cupiditate flagrasfe, et Ciceronis fententiam de quaestionibus gravisfimis, quaeque omnium ingenia occupabant et exercebant, exquirere voluisfe. Vix credibile est, quanta fuerit huius operis exfpectatio, quantaque cum benivolentia fuerit acceptum.

Summo igitur iure mihi videtur Nobilisfima Facultas Iuridica Univerfitatis Groninganae quaestionem propofuisfe: *de doctrina Ciceronis de Iure, Civitate et Imperio, ex his nuper inventis libris imprimis petenda.* Neque unquam fortasfe quaestio ulla in Academia fuit propofita, quae Iuvenes aut pluribus oblectamentis ad fcribendum alliceret, aut fcribentibus maiorem utilitatem et voluptatem praeberet, aut Iuris et Literarum elegantiorum ftudium inter fe fuavius coniungeret.

Non deerant tamen, quae Iuvenem a fcribendo deterrerent. Nam quo pulchrior et uberior erat disferendi materies, eo melior et accuratior disputatio requiri posfe videbatur. Cum vero apud me reputasfem, non requiri a tirone opus abfolutum, animum confirmavi, et hanc qualemcumque fcriptionem Viris Cel. quaestionis auctoribus offerre conftitui.

Priusquam autem ad disputationem perveniam, pauca de libris de Republica monenda funt.

Primo igitur notum est, libros illos non integros aetatem tulisfe, fed multis in locis deficere, adeo ut haud raro ex lacunis et corruptelis fententia obscuritatem contrahat. Id vero eo magis deplorandum est, quod in colloquio alter fententiam, quae Ciceronis est, defendat, alter illam argumentis oppugnet, quorum quidem verba ita interdum hiatibus intercipiuntur, ut dubitemus, fintne defendentis an oppugnantis. Huius rei exempla fint, ne alia afferam, Caput 31 et 52. Libri I.

Cicero de Rep. et de Civitate univerfe disferens, omnia ad Remp. et Civitatem Romanam refert: „expofitaque ad exemplum nostra Rep. accommodabo „ad eam, fi potuero, omnem illam orationem, quae est mihi habenda de op-

„timo civitatis statu." (de Rep. I. 46.) Sed tanto amore in patriam flagrabat, ita tenebatur Antiquitatis Romanae studio, ut in hac parte saepe iniquius egerit; neque sunt improbanda, quae ad Scipionem (cuius sententiam revera Ciceronis sententiam esse, tum re ipsa, tum multis exemplis probari possit) habet LAELIUS de Rep. II. 11. „reliqui disseruerunt sine ullo certo exemplari „formaque reip., de generibus et de rationibus civitatum. Tu mihi videris „utrumque facturus: es enim ita ingressus, ut quae ipse reperias, tribuere „aliis malis, quam, ut facit apud PLATONEM SOCRATES, ipse fingere."

Igitur tamquam unus e togatis, patris diligentia non illiberaliter institutus, studioque discendi a pueritia incensus (1), optimam civitatis formam ad exemplum Romanae redigebat, aut historiam a Romulo inde repetens, ita explicabat, ut gloriam Romanorum ad fastigium perduceret (2). Itaque tanto studio hoc omnibus notum esse volebat, Romanos non transmarinis nec importatis artibus esse eruditos, sed genuinis domesticisque virtutibus, ut tribus diversis locis fabulam refellat, qua Numa a Pythagora eruditus esse perhibebatur. (vid. de Rep. II. 5. De Orat. II. 37. Tusc. Quaest. IV. 1.)

Sed ille patriae amor nonnumquam in stultam admirationem (ut habet HORATIUS) degenerat, neque huius in CICERONE desunt exempla. Sic, v. g. de Rep. I. 37. contendit, tempora Romuli Graecos non minus barbaros quam Romanos fuisse, et de Rep. II. 10. de eiusdem temporis Romanis loquens „iam „inveteratis, inquit, literis atque doctrinis." Ipse tamen postea (de Rep. II. 12.) confitetur, senatores fuisse *agrestes*.

Libri de Republica, qualescumque ad nos pervenerint, triplicem materiam tractant, quae facile ad fines propositae quaestionis potest referri. In primo enim libro de Civitate, de illius formis atque requisitis agitur: in secundo de Imperio, imprimis regum Romanorum: in Tertio de Iure et Iustitia disputatur. Neque tamen singuli libri singulam materiam ita expediunt, ut de nulla alia re in iis mentio fiat. Quod in Tertio praesertim libro locum habet. Nam cum Philus eas partes susceperat, ut Iustitiam et Ius deprimeret, LAELIUS

(1) De Rep. I. 22. fin.

(2) Huius gloriolae Vid. exempla, de Rep. II. 15. Tusc. Quaest. IV. 1. de Rep. I. 46. Saepius dicit, optimam Imperii formam eam esse, quae Romae viguit.

contra defenderet, eheu; inquam, tota Phili ſophismatum ſeries integra fere remanſit, de LAELII oratione nihil fere ad nos pervenit.

Huius igitur disputatiunculae eandem fere distributionem ſervare optimum viſum est, quam et CICERO et quaestio ipſa quaſi digito monſtrabant. In *prima* igitur parte, de Iure: in *ſecunda* de Civitate: in *tertia* de Imperio agere conſtitui. Si de Verborum, quibus quaestio continetur, quaeratur ſignificatione, neque de *Civitatis*, neque de *Imperii* ſenſu dubitatio ulla oriri potest. *Ius* vero ita intelligendum esſe putavi, ut non de Iure civili agendum esſet, neque de omnibus legibus, quae Romae de cauſis civilibus latae ſunt, ſed de Iure et Iustitia univerſe, imprimis quoad Civitatem et Imperium.

PARS PRIMA.

DE IURE.

Nobis ita complectenda in hac disputatione, ... causa est universi Iuris, ut hoc civile, quod dicimus, in parvum quemdam et angustum locum concludatur. Natura enim Iuris est explicanda nobis, eaque ab hominis repetenda natura. De Leg. I. 5.

Quum iam significaverimus, nos in exponenda sententia CICERONIS de Iure, pauca admodum de Iure civili esse dicturos, sed de Iure et Iustitia universe, imprimis quantum ad Rempublicam refertur, materiae huius distributionem quamdam statuere nos oportet. Igitur ingrediamur in disputationem ea lege, qua credimus in omni disputatione utendum esse, ut eius rei, de qua quaeratur, si nomen quod sit conveniat, explicetur quid declaretur eo nomine; quod si convenerit, tum demum decebit sermonem ordiri: namquam enim quale sit illud, de quo disputabitur, intelligi poterit, nisi quale sit, prius intellectum fuerit. (Vid. de Rep. I. 24. Cf. Orat. I. 48.)

Primo igitur capite quaeretur, quid sit Ius et Iustitia, e sententia CICERONIS.

Secundo exponetur, Ius esse aeternum, neque a legibus pendere.

Tertio agetur de Iure foederum, et conventionum cum inimicis, ut et de fide servanda.

Quarto denique, de Iure belli, de iis quae bellum debent praecedere, et de Iure, quod in victos acquirit victor.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Ius et Iustitia, e ſententia CICERONIS.

Si igitur quaeramus, quid ſit Ius e ſententia CICERONIS, primo attendendum erit ad locum celeberrimum de Fin. V. 23. Postquam ibi CICERO probaverat, virtutem eſſe per ſe expetendam, dicit, nihil eſſe tam honestum, quam benevolentiam, quae fratres et domum, tum cognatos et affines, tum amicos et cives, totum denique genus humanum complectitur; „quae animi affectio, in„quit, ſuum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, ſocietatem coniunctionis „humanae munifice et aeque tuens, iustitia dicitur."

Altero loco, ad Herenn. III. 2. invenimus, quomodo omne honestum dividatur in rectum et laudabile. Quod rectum est, congruit cum virtute, et officio, et complectitur prudens, iustum, forte et modestum; neque iustitia aliud est quam aequitas, Ius unicuique tribuens pro dignitate cuiusque: quibuscum conferri merentur, quae leguntur, de Invent. II. 53. „Iustitia est habi„tus animi, communi utilitate ſervata, ſuam cuique tribuens dignitatem." Ius igitur omnino pertinet ad utilitatem communem, et in eo conſiſtit, ut unicuique tribuat, quod illi tribuendum est.

Sed quartus est locus, quem propter eius momentum praeterire non licet. In Libro II. de Inv. c. 22. dicit CICERO, initium Iuris a natura ductum videri; cui postea nonnulla ex utilitatis ratione (Iure ſcilicet gentium) aut legibus et inſtitutis populorum (Iure civili) addita ſunt, quibus Ius illud primitivum firmatum est; ſed ſibi perſuaſum habere, naturae quidem Ius eſſe, non ſua tantum opinione, ſed innata quadam vi.

De Iure civili non est, quod multis agamus (1). De illius utilitate ſemel

(1) De illo videantur e multis *d'Engelbr.* in Diſſ. de Leg. et *v. Lynden*, de Iurispr. Tulliana e Topicis.

iterumque apud CICERONEM monetur, quum et rei peritia, et rei momentum magnum Iuris consultum ad suae artis laudem excitare deberent. Sic in Topic. 2. legimus: „Ius civile est aequitas constituta iis, qui eiusdem civita„tis sunt, ad res suas obtinendas; eius autem aequitatis utilis est cognitio: uti„lis est ergo Iuris civilis scientia."

Sed quum hoc loco de Iure universe disputemus, necesse videtur verbo monere de iis, quae contra Ius in Libro III. de Rep. inveniuntur. Hic Cap. 5. dicitur, Iustitiam esse rem multo auro cariorem, sed in sequentibus omnis illa caritas tollitur, et contendit auctor, non naturam nec voluntatem, sed imbecillitatem Iustitiae esse matrem (de Rep. III. 10.) Similiter Cap. 12. omne Iustitiae incitamentum tollitur; profert auctor, virum bonum non propterea iustum esse, quod illi incumbat officium iuste agendi; sed ut sua vita sit vacua metu, sollicitudine, cura, periculo, quae iniustos persequuntur.

Ostendit Romanos non iustitia et virtute, sed sapientia et arte politica crevisse (de Rep. III. 9.) et in eiusdem Libri Cap. 5. contendit, Ius Civile esse aliquod, Ius naturale nullum: si enim esset, ut per omnem orbem terrarum dulcia et amara eadem sunt, sic et iusta et iniusta, eadem omnibus hominibus viderentur, quod probare conatur, non existere. Sed ne tempus teramus in istiusmodi sophismatibus refellendis, hoc sufficiat, non eam esse sententiam SCIPIONIS aut LAELII (quibus CICERO suam doctrinam defendendam tribuit) sed PHILI, qui improbitatis et iniustitiae causam defendere susceperat, quia in utramque partem disputando facillime ad veri cognitionem se perventurum esse putavit. — Quanta vi, quanto eloquentiae flumine LAELIUM haec refellisse necesse est! sed huius voluptatis fructum nobis fatum invidit, et nihil fere eius orationis superest praeter locum unicum de recta ratione (III. 17.) qui tamen tam pulcher est, et tam paucis verbis omnem PHILI argumentationem refellit, ut gaudendum sit, hoc saltem fragmentum e naufragio evasisse. — „Est, inquit „LAELIUS, lex una, naturae maxime congruens, constans, immutabilis, sem„piterna, quae neque tempore, neque locis mutatur; quae non alia est Ro„mae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed quae unumquemque ad offi„cium impellit, a fraude et illicito deterret; quae neque per senatum, legislato„rem, aut populum unum potest abrogari, quae communis omnium hominum „est Magister, Imperator, Deus. Huic legi qui non parebit, hoc ipso luet ma-

„ximas poenas, etiamsi effugerit caetera supplicia, quibus vulgo mortales a sce-„lestis deterrentur. Lex illa est recta ratio."

Quis inveniatur tam ferus et inhumanus, quis ita ab omni pulcri venustique sensu alienus, quin illis LAELII verbis commoveatur, sentiatque, hoc uno argumento omnes Phili et Carneadis rationes labefactari? Quis non Iustitiae partes contra improbitatem suscipiat?

Ex iis quae adhuc de CICERONIS doctrina de Iure et Iustitia protulimus, manifestum est, eam plane ab omni vi et vehementia abhorrere. Neque alia est sententia auctoris nostri. Legimus libro de Rep. II. 14. Numam Pompilium Romanis amorem pacis et otii iniecisse, eo imprimis proposito, quo facilius iustitia fidesque convalesceret. In Orat. pro Domo. C. 20. nihil iure gestum esse videri posse, quod per vim gestum esse constet. Pro Caec. C. 11. „nec iuri quidquam tam inimicum, quam vis" — denique pro Sext. C. 42. „Nihil tam interest quam ius atque vis. Horum utro uti nolimus, altero „est utendum. Vim volumus extingui: ius valeat necesse est ...... Iudicia „displicent, aut nulla sunt, vis dominatur necesse est. Haec vident omnes."

Unum restat, ut ostendamus, quomodo argumentatio Phili refutetur. Ille nempe, cum tota eius disputatio eo spectare videatur, ut perhibeat, ius non conducere tantum civitati, sed omnino ab eius prosperis rebus esse alienum, pluribus locis a CICERO refellitur, docente, Iustitiam ideo reipublicae esse necessariam, quod sine illa nulla resp. diuturna esse possit. Sic de Rep. II. 42. „Sine summa Iustitia resp. geri nullo modo potest." Parad. IV. „Ius et aequi-„tas sunt vincula civitatis" et de Rep. III. 19. Tib. Gracchum culpat, quod perseverans in civibus, sociorum nominisque Latini Iura neglexerit ac foedera; „quae si consuetudo ac licentia manare coeperit latius, imperiumque nos-„trum ad vim a Iure traduxerit ..... etsi nobis, qui id aetatis sumus, evigi-„latum fere est, tamen de posteris nostris, et de illa immortalitate reip. sol-„licitor, quae poterat esse perpetua, si patriis viveretur institutis et mo-„ribus."

CAPUT SECUNDUM.

Ius e sententia CICERONIS *aeternum est, neque a legibus pendet.*

Quum in praecedente capite de Iure universe dixerimus, hoc loco quaerendum erit, utrum illud aeterum et immutabile esse CICERO putaverit, an a legibus et institutis hominum pendere: „nam omnium, quae in doctorum hominum dis- „putatione versantur, nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligi, „nos ad iustitiam esse natos, neque opinione sed natura constitutum esse ius." Si his CICERONIS verbis (de Leg. I. 10.) credendum est, mox manifestum fiet, hanc esse universam illius de hac re doctrinam, neque praeter unam exceptionem, alind quid in illius operibus doceri.

Locus ille expeditu difficilis, in exordio librorum de Rep. (I. 2.) invenitur. Postquam enim monstrare conatus erat, boni civis esse, reip. administrationem suscipere, neque illam improbis relinquere, huius muneris momentum et gloriam declarare pergit. Virtus enim, hac in re, a caeteris artibus diversa est, quod ars, quamvis ea non utare, scientia tamen ipsa teneri possit; sed virtus tota in usu sui posita est, et eius usus maximus est administratio reip. Hi igitur, qui civitatem legibus et institutis regunt, atque describunt, re ipsa gerunt, quod philosophi in angulis personant: „Unde, inquit, pietas, aut a „quibus religio? Unde ius aut gentium, aut hoc ipsum, quod Civile dicitur? „Unde iustitia, fides, aequitas? Unde pudor, continentia, fuga turpitudinis, „adpetentia laudis et honestatis." Unde haec et plura alia, nisi a legislatore. Locus, ni fallor, sibi ipse obstat, et ego quidem crediderim, CICERONEM, cum legislatoris magistratusque munus et auctoritatem describeret, argumentationis ardore abreptum metam transiisse, pluraque illis tribuisse, quam quae iure sibi vindicare poterant (2). Innumera enim adsunt loca, quibus contraria

(2) Operae pretium est, cum illo de Rep. loco alterum conferre, de Leg. I. 15. illi priori plane

doctrina continetur, doceturque, immortalitatem iuris neque a legibus, neque ab humanis verbis pendere. Quae cum omnia excitare infinitum sit, supervacaneum certe videri posſit, praecipua tantum proferre lubet.

Primo igitur de Leg. I. 12. invenimus, quod saepe in nostro auctore reperimus: „ius quod dicam, naturam esse; — quod si quomodo est natura, sic „iudicio homines, *humani* (ut aït poëta) *nihil a se alienum putarent*, cole„retur ius aeque ab omnibus: quibus enim ratio a natura est, iisdem et recta „ratio data est; ergo et lex, quae est recta ratio in iubendo et vetando, si „lex ius quoque. At omnibus ratio: ius igitur datum est omnibus." Ad haec verba omnino conferendum est Cap. 15. eiusdem libri. „Est enim, inquit, „unum Ius, quo devincta est hominum societas; et quod lex constituit una; „quae lex est recta ratio (3) imperandi atque prohibendi, quam qui ignorat, „is est iniustus, sive est illa scripta uspiam, sive nusquam." Sed si utilitate omnia metienda sunt, hinc negliget leges et eas perrumpet, quicumque putabit hanc rem sibi fructuosam fore: ita fit, ut nulla omnino sit iustitia.

Verum, ut Ius semper exstitit et immutabile fuit, ita nullo modo a legibus aut institutis humanis pendere potest. „Stultissimum esset, inquit philosophus „Romanus, de Leg. I. 15. existimare, omnia iusta esse, quae scita sint in „populorum institutis aut legibus. Etiamne si quae leges sint tyrannorum? „Si triginta illi Athenis leges imponere voluissent, aut si omnes Athenienses „delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hae leges iustae haberentur? „Nihilo credo magis illa, quam Interrex noster tulit, ut Dictator quem vel„let civium indicta causa impune posset occidere." et Cap. seq. 16. „Quod „si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum iura con„stituerentur, ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa sup„ponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur." .... Sed „nec tantum ius et iniuria naturâ diiudicantur, sed omnino omnia honesta ac

---

oppositum: „Atqui si natura confirmatum ius non erit, virtutes omnes tollentur. Ubi enim libera„litas, ubi patriae caritas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut referendae gratiae volun„tas poterit existere? Nam haec nascuntur ex eo, quod natura propensi sumus ad diligendos homi„nes, quod fundamentum Iuris est.

(3) Cf. locus de recta ratione in libro III. de Rep. C. 17. et quae nos de illo diximus, Capite superiore.

„turpia." Similiter in Orat. pro Caec. C. 35. „Primum illud concedis, non „quidquid populus iusserit, ratum esse oportere" et in eiusdem Orationis Cap. 18. habet „Ius non ex verbis pendere."

CAPUT TERTIUM.

De Iure foederum et conventionum cum inimicis, ut et de fide servanda.



Si de foederibus quaeramus CICERONIS sententiam, patebit foedus esse populi Romani fidem et religionem, et omne quod contra foedus agitur, agi contra populi Romani religionem et fidem dicitur (Vid. pro c. BALBO. C. 4.) Item videmus (Cap. 15.) foedus servandum esse, etsi illi, qui sanciunt, non omnibus religionis ritibus et caerimoniis obstricti sunt, et tale foedus, quamquam stricto iure non obstringat, tamen propter aequitatem et honestatem pro perfecto haberi. Foedus enim maxime nititur fide publica, neque ulla res vehementius remp. continet, quam fides (de Off. II. 24.) „Nemo est igitur, qui non hanc „affectionem animi probet, atque laudet, qua non modo utilitas nulla quae„ritur, sed contra utilitatem etiam conservatur fides." (de Fin. V. 22.) Igitur tum quoque, quum ad grave et molestum aliquid perficiendum vel subeundum nosmet ipsos obligavimus, hoc perficere vel subire debemus: itaque in bello fides et iusiurandum cum hoste servandum est (de Off. III. 29.) hac nimirum conditione, si hostis sit iustus et legitimus, adversus quem et totum Ius feciale, et multa sunt iura communia, (Ibid.) Sed si cum praedonibus pactum aliquod initum est, neque tuas conditiones perfeceris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem te obligaveris. Nam pirata non est perduellium numero definitus, sed communis omnium hostis, cum quo nec fides debet esse, nec iusiurandum commune.

Sed praeter hunc casum, in iureiurando, non qui metus, sed quae vis sit, debet intelligi. „Est enim iusiurandum affirmatio religiosa. Quod autem Deo

„teste promiseris, id tenendum est: iam enim ad iustitiam et ad fidem pertinet. Qui igitur iusiurandum violat, is Fidem violat, quam in capitolio vicinam Iovis Opt. Max. maioris nostri esse voluerunt." (de Off. III. 29.) Itaque in primo libro de Off. laudatur Regulus, quod fidem Carthaginiensibus datam servare maluerit, quam supplicium effugere (Cap. 13.) et de Rep. III. 19. vehementer culpatur T. GRACCHUS, quod nimis civium studiosus, sociorum nominisque Latini iura ac foedera neglexerit.

CAPUT QUARTUM.

De Iure belli: de iis quae bellum praecedere debent, et de Iure, quod in victos acquirit victor.

Vidimus in superiori capite, Iura nonnulla esse servanda et cum inimicis nostris, cum illis nempe, qui iusti atque legitimi hostes dicuntur. „Suscipienda bella sunt, inquit CICERO (de Off. I. 11.) ob eam caussam, ut sine iniuria in pace vivatur, sed parta victoria conservandi sunt ii, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt." — „Nullum igitur (ut pergit, in fine eiusdem capitis) nullum igitur bellum iustum est, nisi quod aut rebus repetitis (aut *repetendis*, ut legi vult Heusingerus) geratur, aut denunciatum ante sit et indictum." Sed qualemcumque ob caussam bellum geratur, semper ius feciale observandum est. Nempe postquam NUMA POMPILIUS Romae summam nactus erat auctoritatem, hoc sibi proposuit, ut bellandi ardorem Romanorum reprimeret, idque quo facilius perficeret, animos eorum virtute bellica ferocientes religionum caerimoniis mitigavit (de Rep. II. 14.) Itaque multa instituit sacra, multosque ritus, quos observare necesse erat, priusquam bellum incipere liceret. Sed prae caeteris TULLUS HOSTILIUS ius illud perfecit. Hic enim, teste CICERONE (de Rep. II. 17.) „constituit Ius, quo bella indicerentur; quod per se iustissime inventum sanxit feciali (4) religione,

(4) De Off. I. 11. „Ac belli quidem aequitas sanctissime feciali Populi Romani iure perscripta est."

„ut omne bellum, quod denunciatum indictumque non esset, id iniustum esse „atque impium iudicaretur." Et haec quidem iura belli, ut est apud CICERONEM alio loco (de Off. I. 11,) in republica maxime conservanda sunt.

Sed, ut iam ex primo CICERONIS loco, quem hoc capite attulimus, patuit, post partam victoriam (nam de alio belli eventu ille, quippe Romanus, agere vix poterat) post victoriam igitur conservandos esse victos, statuit, nisi nimia crudelitate bellum gesserint. Probat igitur CICERO consilium Maiorum, quo Tusculanos, Aequos, Volscos aliosque in civitatem receperint, Carthaginem vero et Numantiam funditus sustulerint. Corinthum servatam quam deletam malebat. — Sed iis, quos deviceris, parcendum est: tum ii qui, armis positis, ad Imperatoris fidem confugiunt, quamvis murum aries percusserit, recipiendi sunt; et postquam illos in fidem et amicitiam receperit, eorum patronus esse debet.

Recte igitur caput hoc concludere nobis videmur, verbis CICERONIS, de Leg. II: 14. „In bello suscipiendo et gerendo et deponendo ius ut plurimum „valet et fides, horumque ut publici interpretes essent, lege sancimus.

PARS SECUNDA.

DE CIVITATE.

Populus autem non est omnis hominum coetus, quoquo modo congregatus, ſed coetus multitudinis, Iuris conſenſu et utilitatis communione ſociatus .... civitas est conſtitutio populi. De Rep. II. 25, 26.

Cum in hac Parte de Civitate disputare nobis propoſuerimus, hic quoque, ſicut in ſuperiori Parte fecimus, argumentum nostrum distribuemus; et ita quidem ut

Primo Capite de Civitate videamus, e ſententia CICERONIS.
Secundo, de origine Civitatis.
Tertio, nonnulla de conſtitutione Civitatis moneamus.
Quarto, de Civibus.
Quinto, de Officiis et Iuribus civium.
Sexto, de Iure Civitatis in puniendis civibus.
Septimo, de religione.

CAPUT PRIMUM.

De Civitate, e ſententia CICERONIS.

„Quae est civitas? omnisne conventus hominum, etiam ferorum et immani-
„um? omnisne etiam fugitivorum ac latronum congregata in unum locum mul-

„ titudo? certe negabis: non est illa civitas, in qua leges nihil valent, in qua „ iudicia iacent, in qua mos patrius occiderat, in qua ferro pulsi magistratus. „ Praedonum ille concursus." Parad. IV. Similiter civitas aut respublica (5) non est, cum crudelitate unius oppressi sunt universi. Tunc enim vinculum iuris, consensus ac societas coetus, sine qua civitas nulla est, per se sublata sunt (de Rep. III. 21.) Idem de urbe aut regione, quae tota est in factionis potestate (de Rep. III. 22.) ut Athenis post bellum Peloponnesiacum, aut Romae tempore Decemvirorum. Multo minus etiam dici potest civitas, in qua populus omnia suo nutu gerit, cum de quocumque vult supplicium sumit multitudo, cum agunt, rapiunt, tenent, dissipant, quae volunt. (de Rep. III. 23.) Effrenata enim illa multitudo populus dici non potest; sed iste hominum conventus tam tyrannus est, quam si esset unus; hoc etiam tetrior, quod nihil immanius bellua ista, quae populi speciem et nomen imitatur.

Vidimus CICERONEM non unicuique hominum congregationi nomen civitatis impertiri, sed tales, quae Iuris et Iustitiae regulis obstant, hoc nomine non appellari. Ius igitur cum ipsa civitate quodammodo coalescit. Huc autem pertinent CICERONIS verba, iam supra laudata: „ populus non omnis est hominum coetus, quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis, iuris consensu et utilitatis communione sociatus;" et in seq. Cap. 26. „ Civitas est „ constitutio populi." Tunc igitur recte coetus ille populus, illiusque constitutio civitas esse dicitur, quum iure et ad communem utilitatem hoc factum est; his quidem verbis congruunt, quae leguntur. (de Rep. I. 32.) „ Quid est enim „ civitas, nisi iuris societas?" Ad hanc igitur societatem omnes homines feruntur sponte, omnes hanc utilitatis reciprocam conditionem appetunt „ non „ est enim singulare nec solivagum genus humanum" (de Rep. I. 25.) sed in illo est „ quaedam societatis cupido et caritas generis humani." (de Fin. V. 23.)

(5) Tenendum est vocem *respublica* apud CICERONEM non eam habere significationem, quae posterioribus temporibus illi tributa est. Tunc enim *respublica* dicta est ea civitas, quae non ab uno regeretur. Apud CICERONEM vero est *Res populi*, res universitatis, civitas; quo sensu Graeci dicebant ἡ πολιτεία, τὰ κοινά.

CAPUT SECUNDUM.

De Origine Civitatis.

Quum semel definitum sit, quid sit Civitas, non multa de illius ortu vel origine dicere necesse est. Quis enim ignorat, ita naturam rerum tulisse, ut quodam tempore homines, neque naturali neque civili iure descripto, fusi per agros ac dispersi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu et viribus per caedem ac vulnera aut eripere aut retinere poterant. Qui igitur primi consilio et virtute excelluerunt, perspecto genere docilitatis humanae atque ingenii, dissipatos unum in locum congregarunt, eosque ex feritate illa ad iustitiam et mansuetudinem traduxerunt. Tum res ad communem utilitatem, quas publicas appellamus, tum conventicula hominum, quae postea civitates nominatae sunt, tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus. (vid. pro Sext. C. 42.) Sed prima causa coeundi non tam est imbecillitas, quam naturalis quaedam congregatio (de Rep. I. 25.) quia, uti iam diximus, genus humanum natura sua ad societatem fertur.

Quum autem pleraeque civitates, imprimis antiquae, magna ex parte, urbibus continerentur, et fatum eiusmodi urbis arcte cum civitatis fato coniunctum esset, hoc loco breviter dicendum videtur de iis, quae in eligendo situ et condendis urbibus observabantur. In secundo enim libro de Rep. originem civitatis Romanae exponens, illa occasione observat, diligenter in condenda urbe attendendum esse, quo loco aedificetur. Si enim in littore maris, frequentibus et subitis hostium invasionibus exposita est, qui illam fortasse ipsis in incunabulis bello opprimant. Praeterea maris vicinitas mercaturae prodest, quae divitias et morum corruptelam gignit; itaque „qui incolunt eas urbes, non „haerent in suis sedibus, sed volucri semper spe et cogitatione rapiuntur a domo „longinquius." (de Rep. II. 4.) Attamen in mediis illis vitiis haec opportunitas conspicua est, quod agrorum proventum, in quascumque velint terras exportare possint. Romulus urbem ad ripam Tiberis condens, maris commoda

arripuit, vitia vitavit, et haud facile alter locus in Italia inveniatur, ubi per tot saecula urbs consistere et crescere potuisset. Caeterum eligendus est locus saluber, et natura munitus.

CAPUT TERTIUM.

De constitutione Civitatis.

Cato (quem SCIPIO noster unice dilexit, ut ex pluribus locis antiquitatis, tum quoque ex Libri II. de Rep. exordio manifestum est) Cato, inquam, dicere solebat, propterea Romanam civitatem tantopere caeteris civitatibus praestare, quod in illis singuli fuissent fere, quorum suam quisque rempublicam constituisset. Sed Resp. Romana non unius ingenio, sed multorum, non una hominis vita, sed aliquot saeculis constituta est (de Rep. II. 1.) Nam cum nemo adeo solers atque ingeniosus existere possit, quem res nulla fugiat, necesse est multa vitia adesse in corpore legum, quas unus Legislator continuo describit. Sed postquam nonnulla instituta in civitate esse laudanda, usu et experientia viderunt magistratus, alia vero vituperanda, haec mutare, illa conservare in tali civitate facile est (6).

In constituenda civitate porro attendendum est ad conservationem fundamentorum reip. quae (de Off. II. 22.) dicuntur concordia et aequitas. „Id enim, „teste CICERONE, est proprium civitatis atque urbis, ut sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia. — Hanc enim ob causam maxime ut sua „tenerent, resp. civitatesque constitutae sunt: nam etsi duce natura congregabantur homines, tamen spe custodiae rerum suarum, urbium praesidia quaerebant. (de Off. II. 21.)

(6) Non desunt nostris quoque temporibus, qui contendant, vicinam nobis insulam propterea tam praeclaram constitutionem nactam esse, quod haec non unius Legislatoris, sed multorum saeculorum opus sit.

Quum igitur iam viderimus, civitatem non eam esse, ubi saevus populus omnia regit, sequitur in rep. omnino cavendum esse, ne multitudo nimium habeat auctoritatis. Multis igitur verbis laudatur SERVIUS TULLIUS (de Rep. II, 22.) „quod curavit, quod semper in rep. tenendum est, ne plurimum valeant „plurimi: quod ius suffragiorum ita constituit, ut neque excluderetur suffra„giis, ne superbum esset, nec valeret nimis, ne esset periculosum.." SERVIUS utrumque vitavit, et ita hoc constituit „ut nec prohiberetur (sunt ver„ba CICERONIS) quisquam iure suffragii, et iis valeret in suffragio plurimum, „cuius plurimum intererat, esse in optimo statu civitatem." Quae autem haec verba sequuntur, omissa sunt; verum procul dubio CICERO hoc amplificavit, et ut semel iterumque Optimates ornamentum et decus civitatis appellat, hoc loco ius maioris suffragii, quod penes illos erat, defendit.

CAPUT QUARTUM.

De Civibus.

Etiamsi non meminerim, CICERONEM disertis verbis *civem* (7) definire, tamen ex iis, quae de civitate, de bono et pernicioso cive pluribus locis in medium profert, facile fit, generalem *civis* definitionem conficere. Est igitur *qui particeps est Iuris civitatis.* Neque igitur natura et loco, sed animo factisque ab hoste distinguendus est (Parad. IV.) Ius illud civitatis amittere nequaquam invitus potest (pro Caec. C. 33. pro Domo. C. 29.) Sed quum plura eaque magna beneficia ex iure illo habeat, tum quoque ad officia nonnulla cogitur (de quibus Cap. seq. dicemus) quae talia natura sua sunt; ut ea erga duas civitates perficere nequeat. Summo igitur iure nemo duarum civitatum civis esse potest. (pro Balb. 11. et pro Caec. C. 34.)

(7) Uno alteroque verbo mutato, legimus in Verr. V. 65. „Cives sunt, qui et sermonis et iuris „et multarum rerum societate iuncti sunt."

Bonum civem hic fere verbis apud CICERONEM (de Off. I. 34.) depictum videmus: „oportet eum aequo et pari cum civibus iure vivere, neque fubmis„fum et abiectum, neque fe efferentem: tum in rep. ea velle, quae tranquilla „et honesta funt: talem enim et fentire bonum civem, et dicere folemus." Praeterea in Ep. ad Div. IV. 7. Marcellum laudat, quod quum videret, in bello civili victoriam fuis partibus non favere, e bello discesferit: „in quo „tuum confilium, inquit, nemo potest non maxime laudare, quod cum fpe vin„cendi fimul abiecisti certandi etiam cupiditatem, ostendistique fapientem et „bonum civem initia belli civilis invitum fufcipere, extrema libenter non per„fequi."

In Ep. ad Brutum 3. contendit, nullos umquam hostes digniores omni fupplicio fuisfe, quam eos cives, qui contra patriam arma cepisfent: et in Philipp. XII. C. 1. dicit, eum ex numero hominum eiiciendum esfe, ex finibus humanae naturae exterminandum, quem bellum civile delectet; quo pertinet celebris ille locus in Catalin. I. 1. „Fuit, fuit ista quondam in hac rep. virtus, „ut viri fortes acrioribus fuppliciis civem perniciofum, quam acerbisfimum „hostem coërcerent."

Si quaeratur de aequabilitate civium, plura loca occurrunt, quibus aequalitas iuris tamquam fundamentum focietatis proponitur. Sed CICERO Conful et Senator erat; ille erat fulcrum illius aristocratiae, quae per multa faecula imperium Romanum tenuit; neque igitur mirandum est, eum aequabilitatem non omnino probavisfe. Itaque de Rep. I. 27. „ipfa, inquit, haec aequabilitas est „iniqua, cum habet nullos gradus dignitatis."

CAPUT QUINTUM.

De Iuribus et Officiis Civium.

Quum civitas eo propofito inita fit, ut omnium utilitas promoveatur, et cives ii fint, qui Iurium Civitatis participes fint, manifestum est, Iura Civium

in eo consistere, quod omnibus emolumentis fruantur, quae communitas utilitatis et commodi singulis affert, ut et primum singulorum officium et propositum esse debet, ut eadem promoveatur utilitas uniuscuiusque et universorum; quam si ad se quisque rapiet, dissolvetur omnis humana consortio. Absurdum est, quod nonnulli dicunt, se commodi sui causa, nihil parenti aut fratri detracturos; aliam esse rationem civium reliquorum. Hi sibi nihil iuris, nullam societatem, communis utilitatis causa, statuunt esse cum civibus; quae quidem sententia omnem societatem distrahit civitatis. (de Off. III. 6.) Igitur non tantum civitatis commodum debet promovere, quum ita faciendo suum proprium simul promovet; sed et contra suam privatam utilitatem debet id agere, quod saluti universitatis conducat. Igitur sex priora capita Libri I. de Rep. in hoc fere unice versantur, ut probetur, uniuscuiusque civis esse, quum talis sit, qui civitati alicui utilitati esse possit, privatum commodum, iucundumque otium reip. curae postponere; „neque enim (inquit de Rep. I. 4.) „hac nos patria lege genuit aut educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret „a nobis, ac tantummodo nostris ipsa commodis serviens, tutum perfugium „otio nostro suppeditaret, et tranquillum ad quietem locum; sed ut plurimas „et maximas nostri animi, ingenii, consilii partes ipsa sibi ad utilitatem suam „pigneraretur; tantumque nobis in nostrum privatum usum, quantum ipsi „superesse posset, remitteret." Et quod attinet ad labores, qui sunt in rep. defendenda sustinendi, leve profecto hoc impedimentum vigilanti et industrio; neque solum in tantis rebus, sed etiam in mediocribus vel studiis vel officiis, vel vero etiam negotiis contemnendum.

Similiter quoque, de Off. III. 5. probat CICERO, omnes cives res alterius incolumes servare debere, neque inde in commodum suum quidquam detrahere. „Hoc enim, inquit, spectant leges; hoc volunt, incolumem esse civium con„iunctionem." „Detrahere ergo, (sic pergit) de altero sui commodi causa, „magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam caetera generis „eiusdem." Est enim bonorum et fortium civium, intercludere omnes seditionum vias, munire praesidia Reip. summum in consulibus imperium, summum in senatu consilium putare. (pro Rabir. C. 1.) Sic omnibus qui patriam conservarint, adiuverint, auxerint, certus est in coelo definitusque locus, ubi beati aevo sempiterno fruantur. (de Rep. VI. 6.)

CAPUT SEXTUM.

De Iure Civitatis in puniendis civibus.

Sicut in praecedentibus vidimus, officium civium esse, civitatis utilitatibus prospicere, sic manifestum quoque est, Civitatem ius habere coercendi cives ad officia sua obeunda; quod ni faciant, legum acerbitate eos cogere aut punire potest. Est enim munus proprium magistratus, intelligere se gerere personam civitatis, et debere eius dignitatem et decus sustinere, servare leges, iura describere, etc. (de Off. I. 34.) Neque tantum ius illud poenas sumendi, secundum CICERONIS sententiam, ius est, quod ad civitatem, vel magistratum per civitatem pertinet; sed ius quod civitas debet exercere; quod nisi faciat, in maximas calamitates incidit. Itaque legimus (in Verr. V. 6.) „Perditae „civitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exitus exitiales habere, ut „damnati in integrum restituantur, vincti solvantur, exules reducantur, res „iudicatae rescindantur. Quae quum accidunt, nemo est, quin intelligat, ru„ere illam rempublicam; haec ubi veniunt, nemo est, qui ullam spem salu„tis reliquam esse arbitretur." Et de Off. III. 5. „Hanc incolumitatem to„tius civitatis spectant leges, hanc volunt: quam qui dirimunt, eos morte, „exilio, vinculis, damno coërcent."

Sed quamvis auctor noster cum caeteris scriptoribus, qui in hac materia tractanda laudem aliquam meruerunt, ius puniendi omnino Civitati concedat, tamen, utpote Magistratus, Iurisconsultus, isque Romanus sanctam illam libertatem defendere debebat, que nemo indicta causa puniri poterat. Itaque in Orat. pro Domo, C. 13. negat, quemquam civem aut iure publico, aut iure civili, ulla calamitate affici posse sine iudicio. Hoc a maioribus esse traditum; hoc esse proprium liberae civitatis, ut nihil de capite civis, aut de bonis, sine iudicio senatus aut populi, aut eorum, qui de quaque re constituti sunt iudices, detrahi possit. — Talis fuit de hac re CICERONIS opinio, quam nos gaudemus, iam illustrissimum Antiquitatis oratorem et iuris peritum ample-

xum esse atque exposuisse, et hodieque in plerisque Europae regionibus receptam esse. Igitur et in Lib. II. de Rep. c. 36. laudatur Decemvir c. IULIUS, quod negaverit, se legem ullam praeclaram neglecturum, quae de capite civis Romani, nisi comitiis centuriatis, statui vetaret. — Et summis laudibus extollitur PUBLICOLA (II. 31.) quod legem tulerit, ne quis Magistratus civem Rom. adversus provocationem necaret, neve verberaret.

CAPUT SEPTIMUM.

De Religione.

Quod in hac scriptiuncula de Religione quoque agendum esse duxerimus, illud fortasse nobis vitio vertatur. Verum non de religione universe dicere constituimus, sed eatenus tantum, quatenus ad Civitatem et Imperium pertinet; quamvis tamen religionis eiusque ministrorum auctoritas, nisi in omnibus Civitatibus, in Romana saltem maxime conspicua sit.

Postquam CICERO (de Leg. II. 7.) fusius exposuit, civibus persuadendum esse, dominos ac moderatores omnium rerum esse Deos, eos mortales intueri, ac rationem habere piorum hominum et impiorum, sic pergit: „Utiles autem esse opiniones has, quis neget, cum intelligat, quam multa firmentur „iureiurando, quantae salutis sint foederum religiones: quam multos divini „supplicii metus a scelere revocarit? quamque sancta sit societas civium inter „ipsos, Diis immortalibus interpositis, tum iudicibus tum testibus."

Sed si illud beneficium et emolumentum est, quod religio universe omnibus civitatibus affert, quod scilicet civium societatem reddat firmiorem, ab alia quoque parte de Romana civitate optime merita est; de quo CICERONIS doctrinam breviter exponendam puto.

Mortuo igitur Tatio, Senatus auctoritate munitus Romulus bella cum vicinis populis gessit felicissime: „Tunc id quoque (de Rep. II. 9.) quod retine„mus hodie magna cum salute reip. auspiciis plurimum obsecutus est Romu-

„lus. Nam et ipſe, quod principium fuit reip. urbem condidit auſpicato, et „omnibus publicis rebus inſtituendis, qui ſibi eſſent in auſpiciis, ex ſingulis „tribubus ſingulos cooptavit augures." — Sic alio eiusdem libri loco invenimus, duo egregie firmamenta reip. fuiſſe auſpicia et Senatum; et quum in ſeq. Capite 14. de vi ac potentia diſſerat, quam religio in diuturnitatem civitatis habet, „NUMAM, dicit, POMPILIUM mortuum eſſe, duabus rebus praeclariſſimis ad diuturnitatem reip. confirmatis, religione ac clementia."

PARS TERTIA.

DE IMPERIO.

Ut enim tutela, ſic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa est, gerenda est. De Off. I. 25.

Hanc quoque partem optimum nobis viſum est, ita distribuere, ut
Primo Capite inquiramus, quid ſit Imperium.
Secundo dicamus de neceſſitate Imperii.
Tertio de Imperante.
Quarto de Officiis Imperantis.
Quinto de Tyrannide, et abuſu Imperii, et deponendo Imperio.
Sexto de Diverſis formis Imperii.
Septimo de Optima Imperii forma.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Imperium, e ſententia CICERONIS.

Imperium, e ſententia CICERONIS, nihil aliud est, quam potestas alicuius rei regendi, Iure conſtituta. Ut enim civitas non est omnis congregatio, ſed ea tantum, quae iuridica est, ſic quoque Imperium non est omnis vis ac potestas, ſed ea, quae iure alicui data est. In Orat. pro Q. LIGARIO, C. 1. le-

gimus; non illud Imperium esse, quod ad privatum clamore multitudinis imperitae nullo publico consilio defertur.

Omnis civitas Imperio aliquo regenda est, vel ut dicitur, de Rep. I. 26. *consilio* quodam. Quod consilium nisi adsit, resp. diuturna esse non potest; ubi vero adest (et aliquando adesse debet) ad eam primum causam referendum est, quae genuit civitatem (de Rep. I. l. l.) Causa vero haec est utilitas atque commodum singulorum; igitur imperium omne, secundum opinionem CICERONIS, ad utilitatem singulorum referendum est. Ex his manifestum est, originem huius Imperii e populo derivari, apud quem ideo summum, quod dicitur, Imperium est. Libri nempe Pontificii, inquit CICERO, (de Rep. II. 31.) declarant provocationem a legibus ad populum fuisse; idem significant libri augurales; idem compluribus legibus XII tabb. ostenditur; et quod proditum memoriae est, Decemviros sine provocatione creatos esse, satis ostendit, reliquos Magistratus non sine provocatione fuisse. Similiter, valde sibi placens narrat CICERO, in II. de Rep. libro, NUMAM POMPILIUM de Imperio suo curiatim legem tulisse (Cap. 13.) Idem de TULLO HOSTILIO, quem populus regem creavit comitiis curiatis, et qui de Imperio suo populum consuluit curiatim (Cap. 17.) Idem fecit ANCUS MARCIUS. (Cap. 18.) Post eum SERVIUS TULLIUS, aut potius SULPICIUS, u a CICERONE vocatur, primus iniussu populi regnavisse traditur, sed tamen voluntate et concessu civium; populum de se ipse consuluit, iussusque regnare, legem de Imperio suo curiatim tulit. (Cap. 21.)

In eiusdem libri Cap 17. summis laudibus reges antiquos Romae effert, quod viderint, tribuenda quaedam esse populo, neque se omnem potestatis speciem sibi servare debere; TULLUS ne insignibus quidem regiis, nisi iubente populo, uti ausus est.

CAPUT SECUNDUM.

De necessitate Imperii.

Nihil in rerum natura posse existere, quod non moderamen aliquod habeat, et uno alterove Imperio regatur, atque in ordine retineatur, hoc quidem res ipsa et sana ratio tam luculenter ostendunt, ut paucis tantum verbis opus sit, quibus probetur, CICERONIS hac de re sententiam non a communi opinione discrepare. Primo quidem in libro I. de Rep. c. 26. disertis verbis perhibet, omnem populum, omnem civitatem, omnem rempublicam consilio (aut imperio) quodam regendam esse, ut diuturna sit. In III. de Leg. c. 1. eadem aliis verbis dicuntur. „Nihil porro, inquit, tam aptum est, ad ius conditionemque „naturae, quam Imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec „hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus „potest. Nam et hic Deo paret, et huic obediunt maria, terraeque etc." Vidimus, hoc loco auctorem nostrum Imperium omnino a natura petere, nihilque tam aptum esse ad conditionem naturae.

In eandem fere sententiam, de Leg. III. 2. „magistratibus igitur, (inquit) „opus est, sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest; quo„rumque descriptione omnis reip. moderatio continetur. Neque solum his prae„scribendum est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus."

CAPUT TERTIUM.

De Imperante.

Cum in prioribus capitibus libri 1. de Rep. legislatores atque magistratus vel Imperantes summis honoribus CICERO afficit, et instituta comparatione inter

eos et philosophos, eorum partes suscepit, nullam declarat esse rem, in qua propius ad Deorum numen virtus accedat humana, quam vel novarum civitatum constitutionem vel iam conditarum conservationem (de Rep. I. 7.) Sapientis principis est, miros orbes et quasi circuitus mutationum et vicissitudinum in rebus publicis cognoscere, tum vero prospicere impendentes; in gubernanda rep. moderantem cursum atque in sua potestate retinentem, magni alicuius civis et paene divini est viri (de Rep. I. 29.) Prudens ille Imperans, tamquam Africanus, immani et vastae insidet belluae, quam coercet et regit; quocumque vult, levi admonitu non actu inflectit illam feram. Ille igitur Indus aut Poenus unam coërcet belluam et eam docilem et humanis moribus adsuetam; at vero ea, quae latent in animis hominum, quaeque pars animi mens vocatur, non unam aut facilem ad subigendum frenat et domat, si quando id effecit, quod raro potest. (Libr. II. 40.) Sed si multae eaque gravissimae molestiae adsunt, remuneratio pulcra est; quantus enim honos, quanta gloria! Qui literis et otio vitam suam transigit, is profecto beatiorem habebit vitae rationem, sed qui reip. curam suscipit, eamque curam probe et honeste gerit, laudabilior certe est et illustrior. (de Rep. III. 2.) et in Libro VI. c. 6. dicitur, Civitatum rectores et Imperantes coelo esse profectos, ad coelum reverti; sed plerique adducuntur, ut eos iustitiae capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriae cupiditatem inciderint. Quod enim est apud ENNIUM:

Nulla sancta societas, nec fides regni est, id latius patet. (de Off. I. 8.)

CAPUT QUARTUM.

De Officiis Imperantis.

Qui reipublicae praefuturi sunt, haec duo PLATONIS praecepta teneant necesse est; unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quaecumque agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus reip.

curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Ut enim tutela; sic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam; ex quo evenit, ut alii populares, alii studiosi optimi cuiusque videantur, pauci universorum. (de Off. I. 25.) Vidimus officia, quae CICERO bono Imperanti imponit, non esse levia; altero tamen loco breviter dicit, „illius officia in hoc uno consistere, ut numquam a se ipso instituendo contemplandoque discedat (de Rep. II. 41.) ut ad imitationem sui vocet alios, ut „ sese splendore animi et vitae suae sicut speculum praebeat civibus." Is igitur officia boni Imperantis persequitur, qui, quibus rebus reip. utilitas paretur et augeatur, tenet iisque utitur. (de Orat. I. 48.)

Caeterum, ut accuratius rem persequamur, imprimis videndum erit ei, qui remp. administrabit, ut suum quisque teneat; neque de bonis privatorum publice diminutio fiat (de Off. II. 21.) Porro debent consulere, an earum rerum copia sit, quae sunt valde necessariae (Ibid.) Debet legibus mitioribus saevam indolem civium moderare, eorumque animos ad humanitatem et mansuetudinem revocare, ut NUMA Romae fecit (de Rep. II. 14.) Debent quoque abstinentia, liberalitate et continentia inclarescere: nullum enim vitium taetrius est, quam avaritia, imprimis in principe (de Off. II. 22.) et ROMULUS hac imprimis virtute (liberalitate) sibi civium benivolentiam conciliavit. Denique Imperans, quod est caput totius civilis prudentiae, debet videre itinera, flexusque rerum publicarum, ut, cum sciat, quo quaeque res inclinet, retinere possit, aut ante occurrere. (de Rep. II. 25.)

CAPUT QUINTUM.

De Tyrannide et abusu Imperii, et deponendo Imperio.

Tyranni e CICERONIS doctrina sunt omnes illi, qui in populum vitae necisque potestatem habent (de Rep. III. 10.) Aut (sicut describitur de Rep. II,

26.) fimulatque fe inflexit rex in dominatum iniustiorem, fit continuo tyrannus, quo neque tetrius, neque foedius, nec Dis et hominibus invifius animal ullum cogitari potest; qui quamquam figura est hominis, morum tamen immanitate vastisfimas vincit belluas. Quis enim hunc hominem esfe dixerit, qui fibi cum fuis civibus, cum omni hominum genere nullam iuris communionem, nullam humanitatis focietatem esfe velit? Igitur cum femel Tyrannus ortus est, nulla exftat respublica, quae est res populi (de Rep. III. 21.) fed totum regis nomen invifum reddit (Ibid. C. 30.) ut non in posterum Rex in ea civitate facile admittatur.

Quod attinet ad fecundum partem argumenti huius Capitis, in qua de deponendo vel abrogando imperio agendum restabat, quaestio illa nostris temporibus multis controverfiis agitata est. Itaque periculofum fit, nostram qualemcumque opinionem interponere; fed nos potius intra huius disputatiunculae terminos nosmet ipfos concludamus, videamusque breviter, quaenam CICERO de illa quaestione opinatus esfe videatur. Itaque liceat nobis verba defcribere, quae Philipp. VIII. C. 4. inveniuntur: „quae caufa iustior est belli gerendi, „quam fervitutis depulfio!" In Libro II. de Rep. fex priores Romae reges iuste et tranquille Imperii habenas tenuisfe dicuntur; „fed Tarquinius optimi „regis caede maculatus, integra mente non erat, et cum metueret ipfe poenam „fceleris fui fummam, metui fe volebat. Deinde victoriis exfultans, libidines „fuorum neque fuos mores regere poterat; itaque hinc vir ingenio et virtute „praeftans, L. BRUTUS, depulit a civibus fuis iniustum illud durae fervitutis „iugum; qui cum privatus esfet, totam remp. fustinuit; primusque in hac ci- „vitate docuit, in confervanda civium libertate privatum esfe neminem. Quo „auctore et principe concitata civitas, recordatione fuperbiae Tarquinii, mul- „tarumque iniuriarum et ipfius et filiorum, exules et regem ipfum, et liberos „eius, et gentem Tarquiniorum esfe iusfit." (de Rep. II. 25.) Nefcio an fallor, fed mihi quidem CICERO haec eo propofito fic narravisfe videtur, ut quae BRUTUS in commodum libertatis et patriae patrasfet, vehementer approbaret. Illa imprimis verba: „docuitque in confervanda civium libertate privatum esfe „neminem," haec igitur magnam eius laudem continere videntur.

CAPUT SEXTUM.

De diversis Imperii formis.

CICERO, exposita (de Rep. I. 26.) necessitate consilii aut Imperii alicuius, quod Rempublicam administraret, sic pergit, ut dicat, consilium illud aut uni tribuendum esse aut delectis quibusdam, aut multitudini atque omnibus suscipiendum esse. Si igitur penes unum est summa rerum omnium, regem huno unum vocamus, et regnum eius reip. statum. Cum apud delectos, dicimus civitatem arbitrio optimatium regi; et quum in populo omnia sunt, civitas illa popularis dicitur. Hae igitur tres sunt diversae Imperii formae, quibus, secundum doctrinam CICERONIS, civitates reguntur. Primo quaerendum erit, quaenam uniuscuiusque vitia sint; porro quaenam caeteris praeferenda.

Quodvis igitur horum, si vinculum teneas, quo homines societate devincti sunt, non erit perfectum, sed tamen tolerabile. „Nam (de Rep. I. 26.) vel „rex aequus et sapiens, vel delecti et principes cives, vel ipse populus, „quamvis id minime probandum sit, tamen nullis interiectis iniquitatibus, „aut cupiditatibus, posse videtur aliquo esse non incerto statu (8)."

Sed in regnis nimis expertes sunt caeteri communis Iuris et consilii, in optimatium dominatu vix particeps esse libertatis potest multitudo; et in democratica Imperii forma, quamvis iusta ac moderata, tamen ipsa illa aequabilitas est iniqua, cum nullos habeat gradus dignitatis (de Rep. I. 27.) Si tamen ex tribus illis Imperii formis eligendum foret, regia, e CICERONIS sententia, optima esset, si scilicet esset rex bonus et omnino a tyrannide alienus (ibid. 55.) Et nullum est e tribus illis generibus, quod minus sit, quam populare

(8) Verba *nullis interiectis iniquitatibus*, perperam, ut opinor, vertit Villemanius: *sauf quelques iniustices.* Haec etiam sententia Scipionis argumentationi repugnat, qui haec addidit ad tertium illud *ipse populus*, quod ille, utpote optimatium studiosus, minus probababat. Vid. MAIUM ad h. l.

Imperium, probandum. (de Rep. III. 24.) Sed CICERO plus ſemel diſertis verbis declarat, ſe nullum eorum per ſe ſeparatim probare, verum ante ponere ſingulis illud, quod conflatum fuerit ex omnibus (Ib. I. 35.)

Videamus quodnam illud ſit.

CAPUT SEPTIMUM.

De Optima Imperii forma.

CICERONEM de hoc argumento plura conſcripſiſſe tum aliunde patet, tum ex eo quod Atticus (de Leg. I. 5.) dicat: „ quoniam ſcriptum est a te de op- „ timo reip. ſtatu."

Optimatium quidem regimen optimum eſſet, ſi optimates non eſſent nobiliores et ditiores, ſed praeſtantiores virtute et ingenio. Sed quum illi nonniſi raro inveniantur, eiusmodi perfecta imperii forma magis cogitatione effingi, quam revera conſtitui poſſit (9).

Itaque ſi ad veritatem redeundum est, reperimus CICERONEM eam Imperii formam deſignare, quae neque omnino monarchica ſit, neque aristocratica, neque democratica, ſed quae trium harum emolumenta coniungat, idque faciendo vitia vitet, quibus obnoxiae ſint. Placet enim, eſſe quiddam praeſtans et regale; eſſe aliquid auctoritati principum partum ac tributum; eſſe quasdam res ſervatas iudicio voluntatique multitudinis. Haec conſtitutio habet primum aequabilitatem magnam quandam, qua carere diu vix poſſunt liberi; deinde firmitudinem (de Rep. I. 45.) Haec igitur Imperii forma, haec conſtitutio, ut ita dicam, nulla erat alia niſi Imperii Romani, in quo Conſules regiam poteſtatem, Senatus optimatium partes, Populus democratiam quandam tuebatur. „ Sic enim decerno, (inquit CIC. de Rep. I. 46.) ſic ſentio, ſic affir- „ mo, nullam omnium rerum publicarum aut conſtitutione aut deſcriptione

(9) Similiter Rosſavius contendebat democratiam eſſe optimam imperii formam. „ Un gouverne- „ ment (ſic ille) si parfait ne convient pas à des hommes; mais s'il y avait un peuple de Dieux, il „ se gouvernerait démocratiquement.

„aut disciplina conferendam esſe cum ea, quam patres nostri nobis acceptam „iam inde a maioribus reliquerunt."



Hactenus igitur de illa quaestione; ad quam ſi propter virium nostrarum tenuitatem aut omnino male, aut minus accurate reſpondimus, non poſſumus tamen quin confiteamur, hanc ſcriptionem nobis profuisſe ad ſcriptorum CICERONIS cognitionem, e quibus ſolis ſcribendi materiam haurire maluimus, quam aliorum libris evolvendis committere, ut illorum potius quam nostram opinionem protulisſe cenſeremur.

„*Nec enim ſum copiam, quam potui, quia du-*
„*bitatio in nulla re erat, perſecutus.*"
CIC. *de Fin. V.* 23.



